



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Sacra Veterum Temporum Uti Et Evangelica, Ac  
Apostolica Historia**

**Steinhart, Franz**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90104692**

De Secta Pharisæorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62332)

simul misit sicarios in Gazam, ut tertium quoque filium Ioannem tollerent; qui autem in tempore monitus eos antevertit ipsosque occidit.

Atque hinc cum vita Simonis sacra veteris Testamenti Historia omnino desinit; nam gesta, bella, & virtutes Joannis, ex quo factus est Princeps Sacerdotum post Patrem suum, scripta quidem fuerunt in libro dierum Sacerdotii eius, sed liber ille interiit. quare deinceps unicus in Historia Judaica Dux erit Iosephus Judæus à lib. 13. antiquitatum c. 14. & sequentibus. quam antequam prosequamur, de Judæorum hæresibus ac Synagogis pauca referemus.

Finis sacre veteris Testamenti Historix. c. ult. v. 23. & 24.

### De Judæorum Hæresibus.

Joannis ferè tempore ortæ sunt inter Judæos duæ præcipuæ hæreses sive sectæ Sadducæorum & Pharisæorum; quibus accesserunt duæ aliæ Scribarum & Herodianorum tunc, cum Christus suam doctrinam prædicaret, maximè vigentes.

### De Secta Sadducæorum.

Sadducæi à Sadoc sectæ Principe appellati dicebant non esse resurrectionem mortuorum; neque Angelum neque spiritum. sed & animas unà cum corporibus simul & eodem tempore extingui putabant. In reliquis sentiebant cum Samaritis; nisi quod, Judæi cum essent, Jerosolymis Sacrificia facerent. Huic sectæ adhærebant non quidem multi, sed tamen dignitate præcipui, ut Principes Sacerdotum & ferè Optimates Judæorum, libertatem carnis præ aliis sectantes.

### De Secta Pharisæorum.

Pharisæi ab Hebraica voce Phares latinè Separatio ita nominati, eò quod ab aliis separati essent doctrina, sanctitate, habitu, omnia, quæ Sadducæi negabant, admisere; multas tamen inanes cæremonias, superfluos ritus ac supersticiosas traditiones obser-



observârunt, eorûmque doctrina præcipuè in componenda exteriori pietatis specie versabatur. Hos populus magnificiebat & sectabatur.

### De Secta Scribarum.

**S**cribæ sive Legis periti & Doctores, quorum multi erant Pharisei, superfluam & sophisticam interpretationem legis inducentes secundum eam vivebant, & veluti ad sinceritatem ac sanctitatem dispositi crebrò manus lavabant, crebròque purificationes quasdam per lavacra adhibebant. Hi quoque erant, qui dum facerent eleemosynam, canebant tubâ ante se specie quidem, ne quis egenus beneficiò excuderetur, reverâ autem, ut multos haberent beneficentiæ suæ spectatores.

### De Secta Herodianorum.

**H**erodiani putabant Herodem esse Messiam, in scripturis & à Prophetis prænuntiatum, decepti ex illo loco: non deficiet Princeps ex Juda neque Dux de femoribus ipsius, donec veniat, qui mittendus est. hinc colligebant hunc missum esse Herodem, quòd non esset Judæus natus sed alienigena.

Harum quatuor Sectarum Discipuli Christo Evangelium prædicanti præcipuè se opposuerunt, ipsûmque tentandi causa variis hinc inde interrogationibus fatigârunt. quos autem Ipse quoque acriter insectatus est, & hypocrisin aut falsam doctrinam eorum detexit. sic *Matt. 22. v. 23.* Accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem. *Matt. 16. v. 6.* Cavete à fermento Phariseorum & Sadducæorum. *Matt. 23 à v. 2.* Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei, id est, tenent locum Moysi & jus, habentque auctoritatem docendi, explicandi legem: dicunt, & non faciunt: omnia sua opera faciunt, ut videantur ab hominibus. *Luca 20. v. 46.* Attendite à Scribis, qui volunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foro, & primas Cathedras in Synagogis, & primos discubitus in conviviiis. *Marci 8. v. 15.* Cavete à fermento Herodis, ab absurda scilicet secta Herodianorum Herodem pro vero Messia obtruden-